tam disiecerant. Restituit aram, honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit. Tumulum iterare haud [1] visum. & cuncta inter castellum Alisonem, ac Rhenum nouis limitibus, aggeribusque permunita. Iamque classis aduenerat, cùm premisso commeatu, & distributis in legiones, ac socios nauibus, fossam, cui Drusianę nomen, ingressus, precatusque Drusum patrem, vt se eadem ausum libens placatusque [a] exemplo, ac [b] memoria consiliorum atque operum iuuaret. lacus inde & Oceanum vsque ad Amisiam flumen, secunda nauigatione peruehitur. Classis Amisię relicta lęuo amne; erratumque in eo, quod non [2] subuexit. [3] transposuit militem dextras in terras iturum.] ita plures dies efficiendis pontibus absumpti. Et eques quidem, ac legiones prima æstuaria, nondum adcrescente vnda, intrepidi transiere: postremum auxiliorum agmen, Batauique in parte ea dum [4] insultant aquis, artemque nandi ostentant, turbati, & quidam hausti sunt. Metanti castra Cæsari Angriuariorum defectio à tergo nuntiatur. Missus illico Stertinius cum equite & armatura leui, [c] igni & cædibus perfidiam vltus est. Flumen [5] Visurgis Romanos Cheruscosque interfluebat. eius in ripa cum cæteris primoribus Arminius adstitit; quesitoque an Cæsar venisset, postquam adesse responsum est, [d] vt liceret cum fratre conloqui, orauit. Erat is in exercitu cognomento Flauius, insignis fide, & amisso per vulnus oculo paucis ante annis, duce Tyberio. tum permissum. progressúsque salutatur ab Arminio, qui amotis stipatoribus, vt sagittarii nostra pro ripa dispositi abscederent, postulat. & postquam digressi, vnde ea deformitas oris interrogat fratrem: illo locum, & prælium referente, quodnam [6] præmium recepisset, exquirit. Flauius [e] aucta stipendia, torquem, & coronam,

1 Quia tam clade acceptæ, quàm pietatis illorum, qui tumulum extruxerāt, graūque munens in defunctos testis esse poterat.

2 i. Non perduxit, aut transposuit militem in dexteram ripā.

3 Hæc ex margine libri, in cō textum, vt ego puto, irrepierunt, tanquam interpretatio illius, subuexit, tamē nihil muto.

4 Sic lib. 3. hist. Germani notis vadis persultabant.

5 De hoc flumine vide Pateic. lib. 2.

6 Nunc præmium appellat id, quod cùm irridebit paulò post pretium vocabit.

OBSERVATIONES.

a *Exemplo domestico, & memoria consiliorum paternorum maximi cuiusque viri pectus ad præclarissima quæque facinora mirum in modum acuitur.*

b *Hoc verè est filium esse, non tantùm ore, & reliqua specie corporis patris effigiem præ se ferre, sed illius, si vir præclarus fuit, vestigiis insistere, illius exemplum imitari, illius consilia, & præcepta memoria tenere.*

c *Cùm in defectione alicuius tam grande momentum est, vt res maximæ, quas molimur, impediri possint, haud dubiè huius perfidia, ad terrorem cæterorum, igne, & cædibus vindicanda est.*

d *Ad disciplinam militarem potissimùm pertinet, edicere, ne quisquam illorum, qui sunt in exercitu, quicunque tandem ille est, cum hoste, nisi priùs impetrata ab imperatore venia, colloquatur, aut extra ordinem iniussu ducis sui pugnet. qui secus faxit, is, quia militarem disciplinam soluit, capitali supplicio affici debet; cuius rei illustre exemplum legitur apud Liu. lib. 8. hist. ab vrbe cond. cuius meminit Sallust. in coniurat. Catil.*

e *Siquis vir insignis cum hoste manu collata ita vulneratus est, vt ex vulnere non minima appareat deformitas oris, huic augeri stipendia debent; ac præterea torque, corona, cæterisque donis militaribus donandus, hoc est ijs rebus honestandus est, quæ nunquam leues ideo videri possunt, quòd sunt singularis, & eximiæ virtutis argumenta. hæc, nimirum, sunt illa decora, quæ ignobiles inserunt magnis nominibus, & nobiles eo quo sunt loco dignos præstare pergunt.*